

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

*AULO LICINIO ARCHIA.
POËTA,*

QUAM,

ANNUENTE AMPL. FAC. PHIL. ABOENS.

PRÆSIDE

*JOH. FREDR. WALLENIO,**Eloqu. Prof. Reg. & Ord. Regg. Societt. Patriot. Holm.
Oecon. Fenn. & Oecon. Wermel. Membro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

*publice ventilandam sifit**CAROLUS JACOBUS FROSTERUS,**V. D. M. Örrobotnienfis.*

In AEd. Schol. Cathedr. die xix Junii MDCCCVI.

H. p. m. c.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIANIS.

VIRO

ADMODUM REVERENDO,

DOMINO

ABRAHAMO FROSTERO,

ECCLESiarum, quæ DEO IN IJÅ, HAUkipudas, KIMINGI
ET KUIVANIEMI COLLIGUNTUR, PASTORI MERITISSIMO,

PARENTI OPTIMO,

*Quem & diligentissimum habuit præceptorem, & morum
rectorem vigilantissimum, & vivum candidissimæ pietatis
exemplum, animo gratissimo posuit*

CARISSIMI PARENTIS

obedientissimus filius

CAR. JAC. FROSTERUS.



Adeo sanctum est vetus omne poëma.

HORAT.

Quamvis ex judicio non contemnendi nominis vi-
ri (a) CICERONEM magnum oratorem defensus
LICINIUS ARCHIAS non faciat, sed CATILINA & MI-
LO & VERRES & ANTONIUS hanc illi famam circum-
dederint, adeo tamen non habita fuit eloquentissimi
Romanorum pro AULO illo oratio indigna, quæ au-
gendæ Patroni famæ inserviret, ut potius inter selec-
tas ejusdem numeraretur, & novo fere, aut saltem
in foro & judiciali consuetudine inusitato, dicendi ge-
nere haberetur commendabilis. Sed neque nullius
censenda est momenti ad noscenda fata laudesque
Poëtæ, cujus non nisi pauca, eaque breviora, ad no-
stram ætatem pervenerunt carmina, cujusque, si ad
eum juvandum parata non fuisset Tulliana Suada,
præter nomen, vix ulla supereset plenior memoria.
Nam aþud antiquiores quidem CICERONIS Biogra-

A

phos

a) Autoris Dialogi de Causis corruptæ Eloquentiæ Cap. 37.

2

phos, PLUTARCHUM & SEXTUM AURELIUM VICTOREM (b), de ARCHIA frustra quæsiveris quidquam: nec auctor enarrationum in orationes TULLII non nullas, ASCONIUS PEDIANUS, illam pro Poëta nostro teigisse, quantum ex superstitibus, sed mutilus, commentariis colligi potest, videtur (c). Cum autem ex amplissimis, quæ, non pleniori forte ore, quam sinceriori fide clienti Præceptorî gratissimus cumulatissime tribuerat discipulus, præconiis non obscure pateat, illum non ingenio minus quam exercitatione & disciplina valuisse: non inutile duximus, memoriam haud incelebris vatis juvenili, nec reprehendendo forsan, tentamine recolere, vitaque ejusdem breviter commemorata, opuscularum, quæ post magnas antiquarum litterarum strages remansere, lustrare habitum pretiumque expendere.

Pa-

b) Minus hodie ambigi solet Aurelium Victorem verum auctorem esse libri de viris illustribus urbis Romæ. J. A. FABRICII Biblioth. Latin. Ed. ERNESTI T. III. p. 126.

c) Valde igitur errat CAROLUS STEPHANUS, Dictionar. Hist. Geograph. Poët. Genevæ 1660 p. 292, fatis ARCHIÆ breviter enarratis ASCONIUM testem subjiciens. Quamvis enim, qui huic subjungi a nonnullis solet, ANTONIUS LUSCUS VICENTINUS Archianam quoque inter alias (sed inficietius omnes) tractarit, non erat tamen id, uti nec GEORGII TRAPEZUNTII in Ligarianam commentarium, ad ASCONIUM referendum,

Patriam ARCHIAS habuit Antiochiam Syriæ Metropolin, ubi lucem adspexit currentis post Romanam conditam VII:mi saeculi decennio quarto (*d*). Honestis natus parentibus, & humanioribus studiis a puerro inde initiatus, ad scribendum mature accessit, magnam ingenii & poeticae facultatis gloriam cito assecutus, nec minori favore quam admiratione in pluribus Asiae partibus exceptus. Hujus enim forte non paucis regionibus peragratis, praecurrentis famæ non exæquasse solum sed superasæ fertur præconia. At uno parum contentus orbe Græciam primum, tum

A 2

Ita-

d) Si proprie accipienda erunt verba CICERONIS Orat. pro Arch. c. 3. cum prætextus etiam tum (mox post suum in Romanum urbem adventum) Archias esset, posset omnino hic ex ALDI MANUTII, DEMPSTERI, NIEUPOORTI, E-SCHENBURGII aliorumque sententia, videri anno U. C. 635 vel 636 natus: venerat enim Romanum, ut mox dicetur, anno 652 C. MARIO & Q. CATULO Coss. Sed præter pugnam verborum allatorum cum capitis initio (ut primum ex pueris excescit Archias), non patet, qui prætextam gerere potuerit non Romanus, aut ætate adhuc immaturus non tantum cum laude scribere, verum & a tot populis civitate donari. Neque decimo septimo (aut potius, ut ERNESTI putat, quinto decimo) constanter ætatis anno ponи solebat prætexta, sed uti citius, e. c. a NERONE quartum decimum vitæ annum ingresso, TACIT. Annal. L. XII c. 41), ita serius quoque, quod & CALIGULÆ Imperatoris, vicefimo ætatis anno togam sumentis (Svet. Calig. c. 10), docet exemplum.

Italiā, invīsit, celebritate nominis jam absens notus, & in itinere ubique fere honore, applausu, præmiis ornatus. Sic plures Magnæ Græciæ populi, Tarentini, Regini, Locrenses, Neapolitani civitatē ei certatim obtulerunt: nec retinere tamen diu potuerunt, cum prohiberet jus Romanorum, ne duarum civitatēm civis quis esset (e).

At neque Romæ defuerunt faventes ingenii Archiani æstimates. Consulatum tum gerebat quartum C. MARIUS, primum & unicum Q. CATULUS pater, quorum ille humili loco natus, & rusticæ vitæ per plures annos deditus, atque Græcarum litterarum & ornatoris scribendi rationis, ut ipse fatetur (f), omnino expers, durior quidem ad Poëtæ studia videbatur, sed sibi tamen non sine causa jucundi mox facti. Illius enim atque collegæ, sequente in primis anno, contra Cimbros feliciter gesta carmine celebrare aggressus ARCHIAS, non potuit quin magnam ab utroque, & simul a populo Romano universo, pernicio-

fis-

e) *Dissimilitudo enim civitatum varietatem juris habeat necessaria est.* CICERO Orat. pro L. Corn. Balbo c. 13. Sinebant tamen leges solum civitatis mutatione verti, & prius rebus reliquo aliam quæri civitatem. Vid. Idem ibid. C. 11 sq. Quod ab ARCHIA toties fuisse factum, quoties aliis civitatibus adscribi se pateretur, res ipsa videtur docere.

f) SALLUST. Jugurth. C. 25.

5

fissimis liberato hostibus, iniaret gratiam. Cumque CATULUS ipse & pulcre eruditus esset, & disertus satis, mollique & Xenophonteo sermonis genere clarus (*g*), non erit mirum, honeste ab eo tractatum, atque ad intimam & patris & filii (*h*) familiaritatem admisum, fuisse insignis famæ laudisque hominem.

Sed advenienti Romam statim patuerat LUCULLORUM, LUCII & MARCI illustris atque hospita domus, eademque uti adolescenti poëtæ prima, ita familiarissima seni. Et LUCIUS quidem, acutus Orator nec vena carens poëtica (*i*), incredibili ingenii magnitudine egregiaque rerum memoria instructus, & omni litterarum generi deditus, librorumque, de quibus audiebat, lectione mirifice delectatus, atque selectæ bibliothecæ usum concedens omnibus (*k*), in Asiam primo quæstor (circa annum urbis 667), deinde imperator, anno fere 680, profectus, non ARCHIAM minus quam ANTIOCHUM philosophum, PHILONIS auditorem, secum abduxerat (*l*). Ve-

g) CICER. Brut. C. 35.

h) De hoc M. AEMILII LEPIDI in consulatu anni U. C. 675. Collega, CICERO: *non deerat ei in sententia dicenda cum prudentia, tum elegans quoddam & eruditum orationis genus.* Loco proxime citato.

i) CICER. Brut. c. 62. PLUTARCHUS in Lucullo c. 1, 2.

k) PLUTARCHUS ibid. C. 26.

l) CICER. Acad. Quæst, L. IV, C. 1, 2.

6

Venerunt autem in priori illo, ut videtur, itinerere (*m*) etiam Heracleam, Magnæ Græciæ urbem, quæ civitas cum *singulari prope*, eoque æquissimo, fœdere esset ducentis circiter annis ante, C. FABRICIO Consule, Romanis adjuncta (*n*), dicari se eidem cupiebat ARCHIAS, voto, tum quod dignus ipse hoc beneficio haberetur, tum commendantis LUCULLI gratia & auctoritate, facile potitus. Ex quo non solum Heracleensis esse semper voluit, sed & nomen Patroni gentilitium, LICINII, non de more magis, quam grato in novi commodi auctorem animo, assumpsit (*o*): juribusque Romani civis subinde usus testamentum fecit, hereditates civium adiit & in beneficiis

m) Emendationem communis lectionis (orat. pro Arch. Cap. 4 init.) a nonnullis propositam rejicere maluerunt FULV. URSINUS, GRUTERUS, VERBURGIUS, ERNESTI &c. & repudiata Ciliciæ voce retinere Siciliam. Defendant illam ILGEN atque C. G. SCHELLE, videturque id cum PLUTARCHI narratione (Lucull. Capp. 11, 12) melius consentire,

n) CICER. Orat. pro Balbo C. 22.

o) AULI vero nomen (prænomen) unde adsciverit noster, non liquet. Conjicit PAULUS MANUTIUS M. LUCULLUM, antequam a TERENTIO VARRONE adoptaretur, AULUM fuisse, & post adoptionem demum IVEVISSE appellari MARCUM.

neficiis ad ærarium delatus est a L. LUCULLO, prætore & proconsule (p).

Collocaverat interea ARCHIAS, quantum licuerat diutius quam frequentius absenti, rerum fortunarumque suarum omnium sedem Romæ, liberque a negotiis, sed minime tamen otiosus, Musarum studiis invigilare perrexerat, aliorum quoque illustrium viorum non modo sublevatus sed auctus insigni favore. Jucundus nempe fuit familiarissimusque Q. METELLO Numidico, avunculo L. LUCULLI, CARNEADIS quondam auditori, nec dicendi quidem facultate destituto (q), sed militaribus iu Jugurthino bello partis laudibus magis claro; Q. METELLO Pio, prioris filio, pertinaci erga exulem patrem amore, tam clarum lacrymis quam alii victoriis, cognomen assecuto (r); Q. METELLO, ut putat P. MANUTIUS (s), Cretico, fanaticis.

p) In his, a CICERONE, Orat. pro Arch. C. 5 fin. iisdem fere verbis, narratis, communem lectionem *Consule*, præeuntibus GRÆVIO & ERNESTI, mutavimus in *proconsule*.

q) CICER. Brut. C. 35.

r) VALER. MAX. L. V. C. 2.

s) Sed repugnare videntur laudi, quam METELLO hujus loci CICERO, Orat. pro Arch. C. 5, tribuit, ea, quæ de Cretico METELLO actionis in Verrem primæ Cap. 9. ocurrunt. Certi nihil definire licet. Cogitaremus tamen Iubentissime Q. METELLUM CELEREM minorem, quem fam-

etissimo modestissimoque homini; M. ÆMILIO SCAURO, non maximi quidem ingenii sed probabilis industriæ, gravitatis summæ & naturalis ejusdam auctoritatis, constantiæ, severitatis viro, atque memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovanti (*t*); L. LICINIO CRASSO, affini C. MARII (*u*), perfectissimo oratori & simul juris peritissimo (*x*), atque in prima jam adolescentia (*y*) C. CARBONEM maxima cum laude & admiratione in judicium vocanti; M. LIVIO DRUSO, M. CATONIS Uticensis avunculo, graviter de republica dicenti, meliori ingenio animoque, severiore licet, quam fortuna, uso (*z*); OCTAVIUS, CNÆO, CINNÆ, atque CNÆO, CURIONIS, in consulatu
col-

mis pasim (orat. pro Sextio C. 62. Epist. ad Att. L. II. ep. 1. &c.) laudibus celebrare & cum eo Epistolarum commercium colere svererat CICERO. Et illum quidem praetorem CICERONE consule fuisse docet orat. pro Sulla C. 23.

- t*) CICER. Brut. C. 29. Orat. pro Fontejo C. 7. pro Murena C. 7.
- u*) CICER. Orat. pro Balbo. C. 21.
- x*) CICER. Brut. C. 38 sq. 43.
- y*) Vel unum & viginti, quod habet CICERO, de Orat. L. III. C. 20, vel, quod, ex fide auctoris dialogi de causis corruptæ Eloquentiæ C. 34, præferunt PEARCIUS & LAMBINUS, undeviginti annos nato.
- z*) CICERO Brut. Cap. 62, de Offic. L. I, C. 30. VELLEJ. PATERC, L. II, C. 13.

collegis, illi quidem eloquentiae multis concionibus
vehementer probatae (*a*), nec minus LUCIO, magi-
stratum summum cum C. AURELIO COTTA gerenti,
aliisque forte (*b*); CATONI aut MARCO SALONIANO,
Uticensis patri, tribuno plebis (*c*), aut LUCIO in bello
Marsis illato occiso (*d*); atque demum toti HORTEN-
STORUM domui, LUCIO Patri, æquitatis, legis insti-
tutorumque tenacissimo (*e*), ejusque filio QUINTO,
summam eloquentiae laudem & primitiis ab undevi-
ginti annorum adolescente oblatis, & felici ingenio
& memoria, verborum maxime, prodigiosa, & fla-
grantissimo exercitationum studio, & voce canora
atque svavi, consecuto (*f*), eidemque propterea *in fo-*
ro regi causarum (*g*) appellato, sed ad Asiaticam non
fatis severam dicendi rationem abripi se passo, &

B

thea-

a) CICERO Brut. C. 47.

b) Tres illos Consulares intellectos a CICERONE voluit P.
MANUTIUS, sed potuit omnino ille ad plures etiam re-
spicere.

c) Cfr. A. GELLI No&t. Att. L. XIII. C. 18 & schema HAR-
DUINI ad PLINII Nat. Hist. L. VII. C. 12. Edit. FRAN-
ZII Vol. III. p. 79.

d) APPIAN. E'μφυλιῶν L. I. C. 50.

e) CICER. in Verrem A&t. II. L. III. C. 16.

f) CICER. Brut. C. 88. 93. Acad. quæst. L. IV. C. I.

g) ASCON. PEDIAN. Argumento Divinationis, ab initio.

theatrali nimis motui gestuique indulgenti (*h*), nec non alteri *Quinto*, *Quinti* filio, prætori Macedoniae, animi egregii & majoribus digni (*i*): consularibus, præter DRUSUM, M. CATONEM, HORTENSIOSQUE primum & tertium, omnibus.

Non licuit hactenus commemorare nostri cum ipso CICERONE consuetudinem, sub illius utpote adventum nondum sexenni. Sed uti tunc temporis ad doctissimis hominibus existimabantur Græcis exercitationibus ali melius ingenia posse (*k*), nec nisi ultima CRASSI ætate Latini exsistebant dicendi magistri (*l*), ita non L. quidem PLOTIO GALLO, latine docere primo incipienti, sed dirigente rem CRASSO, Grajis doctoribus (*m*), & in his ARCHITÆ quoque, erudiendus committebatur optimæ spei puer. Quo præceptore, quem principem sibi & ad suscipiendam & ad ingrediendam eorum studiorum rationem, quæ in optimis versantur artibus, exstitisse, ipse fatetur discipulus, poëeos etiam amore incensus, venæ tirocinium, carmen *Ponticus Glaucus* inscriptum, nondum ephebus

po-

h) CICER. Brut. C. 95. 28.

i) Idem, Orat. Philipp. X. C. 6.

k) CICERO apud SVETONIUM de claris Rhetoribus Cap. 2.

l) CICERO de Orat. L. III. C. 24.

m) Idem ibid. L. II. C. 1.

posuit, PLUTARCHI (*n*) adhuc ævo servatum: in quo poliendo si opitulantem magistri manum non defuisse putes, a vero fortasse non aberrabis. Neque nihil omnino ad vocem tirunculi conformandam contulisse videtur idem, quam tamen asperam & rudem nimisque sonoram manuisse, inquit PLUTARCHUS (*o*). His vero tantis beneficiis, post multos demum annos (692:do aut sequente urbis anno) eam CICERONI dabatur rependere gratiam, ut præceptor, a GRATIO (*p*) quodam, usurpatæ civitatis reo facto, se adjungeret defensorem, omniaque, quæ Plautia Papiria lex postulasset, esse ab accusato satis præstata ostenderet. Fuisse nimirum eundem Heracleæ civitati adscriptum; domicilium in Italia cum lex ferretur (a. U. 664) habuisse; & apud Q. METELLUM prætorem fuisse professum; exstante tabulas hujus professionis publicas, professore tamen iisdem hactenus, quod Heracleensis esse mallet, minus utente; atque adesse acceptæ ci-

n) PLUTARCHUS in vita Ciceronis C. 2.

- o) Idem ibid. C. 4. Verba autem CICERONIS, orat. pro Arch. C. 1. quod si hæc vox, hujus hortatu præceptisque conformata, nonnullis aliquando saluti fuit (tropice potius intelligenda), imposuerunt tantopere PASSERATIO, ut primas faltem in illo vitio tollendo partes Archiæ tribueret.*
- p) Sic hodie nomen legitur viri, quem GRACCHUM, ex falsa, ut videtur, legione, appellant antiquiora typis excusa exemplaria.*

vitatis testes, M. LUCULLUM (*q*), & cum testimonio publico Heracleenses legatos: sed interiisse, sociali bello, incenso tabulario, tabulas foederatæ urbis publicas; nec censeri, ex more solito, potuisse ARCHIAM, proximis & superioribus censoribus in Asia cum L. LUCULLO commorantem, primisque (*r*) præsentem quidem sed, cum nullus tum factus sit census, culpa vacuum. Interferuntur his omnibus Poëtæ laudes & amplissima studiorum humanitatis commendatio: qua re tota id effectum esse, tacentibus quamvis monumentis, credas, ut intemerato jure frui liceret ARCHIÆ, in primis cum & ad Romanas res, græcis quidem, sed in omnibus fere gentibus legendis, versibus celebrandas is contulisset ingenium, & alios quoque non Poëtas solum aut fortis viros, sed minus etiam idoneos atque ignobiles, in civitatem saepius receperint partim Romani Imperatores, & nominatim POMPEJUS Gellia Cornelia lege (anni urbis 681), partim foederati populi (*s*), & orationis novitas personæ in
ju-

q) Qai igitur P. VICTORIO atque GRUTERO videtur legatus fuisse fratris in protectione.

r) Post perlatam legem, L. JULIO CÆSARE & P. LICINIO CRASSO, anno nempe urbis 665 creatis. HEYNE l. c.

t) p. 244. Annum 664 habet ERNESTI in clave Ciceroniana p. 146. Sed occurrerunt etiam alia plura levioris in temporibus eventuum computandis disensus exempla, quod semel monuisse sufficiat.

s) CICER. orat. pro Arch. C. 5. 10. pro Balbo C. 3. 8. 9. 20.. 22.

judiciis periculisque minime *jactatæ* (*t*) bene con-
venire videretur.

At illa ipsa tantopere laudata, nec parum, ut cre-
dere par est, causæ auctoris faventia, poëmata fere
omnia injuriosa jam diu delevit ætas. Attigisse eum,
& adolescentem quidem, res a MARIO & CATULO
contra Cimbros gestas, CICERONE auctore jam
monuimus; Sed Mithridaticum bellum, quatenus ad
LUCULLUM id pertinuit (nam splendida POMPEJI in
recrudescente sœpius conflictu facta seorsum deinde
enarravit THEOPHANES Mitylenæus), totum expres-
sit carmine, ut reliqua, græco (*u*). Videtur præter-
ea fuisse aliud quoddam de METELLIS opus medi-
tatum, quod vereri se ingenue nimis, nec sine invi-
dia quadam profitetur CICERO (*x*): ut enim erat is
in gloria laudeque sectanda nonnunquam putidiuscu-
lus (*y*), ita non potuit non, ut præco laborum sibi
contingeret, optare, & incepto ARCHIÆ, res sui con-
fu-

t) Sic (*jactata*) ad orat. pro Archia C. Q. legendum voluit,
post LEGIUM, SCHELLE, non *tractata*. Neque tamen
ideo improbanda erit communis & facilior fere lectio.

u) CICERO ad Attic. L. I. ep. 16.

x) Ibidem.

y) Documento erit, instar omnium, epistola ad LUCCEJUM,
Epist. ad Diversos L. V. ep. 12. quam & ipse, ad Att.
L. IV. ep. 6. *valde bellam* vocat.

fulatus celebrare aggressi, delectari, & eundem ad perficiendum hortari, & quod promisisti minus stetis-
set postea, dolere, præsertim cum & CHILIUS, nescio
quis, consularem famæ avidum destituisset (z). Quid?
quod ne Epigrammata quidem, ornando Amaltheo,
quod ad similitudinem Epirotici illius, cuius dominus
erat ATTICUS, exstruxerat CICERO, obtinere se a
cliente potuisse, idem haud obscure queritur, conten-
tum se fore iis, quæ in suo posuerat Amicus, vix
non invite spondens (a). Et in alias tamen versibus
non semel luserat ingratus vates, ut in prodigium de
ROSCIO puero narratum & a PRAXITELE argento ex-
pressum (b). Non potuit sane ista placere negligen-
tia viro, qui & ipse ab aliis accipere (c) & iisdem
offerre (d) breviora poëmata, opportunitate id fe-
rente, diu svererat, videratque toties ARCHIAM,
cum litteram scripsisset nullam, magnum numerum opti-
mo-

(z) Epistola ad Atticum proxime citata.

(a) Ibidem. Cfr. Ep. 13 & L. II. ep. 1. cfr. CORNELIUS NE-
POS in vita Attici. C. 18.

(b) CICERO de Divinat. L. I. C. 36. At WINKELMANN
rectius forte legendum videtur PASITELE.

(c) Ut a TULLIO LAUREA in Academiam & thermas domini
quondam sui, quod legitur apud PLINIUM majorem, Nat.
Hist. L. XXXI. C. 3.

(d) Quale est CICERONIS in TIROREM suum, de quo PLINIUS
juavior Epist. L. VII. Ep. 4.

morum versuum de his ipsis rebus, quæ tum agerentur,
dicere ex tempore, totiesque revocatum eandem rem di-
cere commutatis verbis atque sententiis (e).

At neque mirum videbitur, ingenium tam facile
atque promptum fuisse, hoc in primis ævo (f), ad Epi-
grammaticas etiam amœnitates propensius: cumque
Archianam Musam, hodie saltem, non liceat aliunde
æstimare, ex paucis illis quæ jam restant, ut poteri-
mus,

(e) CICER. Orat. pro Arch. C. 8. QUINTILIANI Institut. Orat.
L. X. C. 7. qui perinde ac CICERO de Orat. L. III. C. 50.
eandem laudat in ANTIPATRO Sidonio facultatem, *Im-
provisoribus*, quos Itali vocant, dein valde familiarem.

(f) Fast die ganze Poëterey der Griechen in der Römischen
Welt schränkte sich auf Epigrammen ein, in denen sie nicht
selten die Ideen ihrer Vorgänger wiederholten, und worin-
ne die Römer es ihnen bald genug gleich thun lernten.
JACOBS in Charaktere der vornehmsten Dichter aller Na-
tionen, 1:n Bandus 2:3 Stück p. 337. *Longe plurimi eo-
rum, qui post MNASALCAM, LEONIDAM TARENTINUM,
CALLIMACHUM, ingenium converterunt ad scribenda Epi-
grammata, hoc præcipue spætasse videntur, ut superiorum
poëtarum ἐννοίας, verbis variatis, exprimerent sibi que vin-
dicarent. Quorum haud pauci ita in hoc negotio versati
sunt, ut, quæ ab illis presiiss dicti essent, dilatarent &
amplificarent; alii vero ita, ut prisorum carmina quasi in
compendium redigerent. Idem, præfatione ad animad-
veriones in Epigrammata Anthologiæ Græcæ, Vol. I:ni
Parti p. iori præmisæ p. XXVII.*

mus, judicabimus. Numerum autem Epigrammatum ARCHIÆ superstítum quod attinet, varie solet a variis definiri. Tribui ei videoas a VERBURGIO (g) viginti sex, ab HENR. STEPHANO, post PLANUDEM, duodeviginti aut dubitanter undeviginti, a BRUNCKIO triginta quatuor, a laudato jam JACOBS triginta quinque ejusmodi Carmina; quibus si vel addere liceret sex illa a STEPHANO Vati nostro adscripta sed a novissimo editore eidem abjudicata epigrammata, unumque adhuc adjungere, quod in libro manuscripto Lipsiensi ARCHIÆ tributum vidit FABRICIUS (h), quodque clarissimo JACOBS (i) censetur $\alpha\delta\epsilon\sigma\pi\theta\sigma\eta\sigma$, ne sic tamen hæc omnia quinquagenarium implerent numerum. Sed quantumvis pauca, collecta tamen & junctim edita prodierunt cura NICOD. FRISCHLINTI, cum latina metaphraſi, Hymnis Epigrammatibusque CALLIMACHI Basil. 1589, 8:o, annexa, DANIELIS ALSWORTHI, Angli, cum interpretatione, Romæ 1595, atque CHRISTIANI SAALBACHII, cum LUCIANI carminibus, Gryphisw. 1692, forma octava.

Non posunt in tam parco quidem penu occurrere eminentioris ingenii vel multa vel luculenta sa-
tis vestigia: neque, quem in hoc genere locum Poëtæ

no-

g) Operum CICERONIS Vol. II. Amstel. 1724. p. 766.

h) Biblioth. Græc. L. III. C. 28.

i) Antholog. Græc. T. IV. p. 207. n. 420.

nostro assignaverit antiquitas, rescire hodie licet.
Nequivit MELEAGER, EUCRATIS filius, Gadarenus,
coronæ a se contextæ Epigrammatiorum (*k*) infe-
rere ARCHIAM, sua namque ætate tantum non poste-
riorem (*l*); quem porro neque alter ille, sæculo æræ
Christianæ primo atque ad TRAJANUM usque flo-
rens, Anthologiæ Conditor, PHILIPPUS Thessaloni-
censis, coronæ alteri, ad Meleagreæ similitudinem
concinnatae (*m*), intulit: ut sic deficiat vel lubricum
illud, e similitudine raro justa, æstimationis funda-
mentum. Stratonianæ autem, exeunte secundo vel
ineunte tertio p. C. n. seculo factæ, vix nisi Sotadi-
corum, Epigrammatum collectioni nihil potuit ab ho-
nesto poëta profectum immisceri.

Sunt autem Epigrammata ARCHIÆ adscripta va-
rii admodum argumenti: ita tamen, ut partim præ-

C fin-

k) Continet nomina Poëtarum quadraginta sex, cum floribus,
herbis, fruticibus, arboribus comparatorum, sed antiqui-
orum fere omnium; nominibus recentiorum (εργέων πολ-
λῶν νεογεράφων vel, ut conjicit JACOBS, νεοτρόφων) omisis.

l) Floruit nempe MELEAGER sub ultimo SELEUCORUM, qui
Olymp. CLXX, 3 (98 fere ante Christum natum, & sex
antequam Romam adveniret ARCHIAS, annis) regnare
cœpit. JACOBS l. c. in Prolegomenis p. XXXIX sq.

m) Complebitur illa poëtas MELEAGRO recentiores nomina-
tim tredecim; reliquorum & nomina & affixa symbola
reticet.

singulari, non infimæ forte laudis visa, commutandæ dictionis facilitate, se, partim, ex temporis jam notato more, alios, nonnunquam exscripsferit. Hanc vero fortem vicissim expertus ipse, non erit temere, in quovis rerum (quem dicunt) parallelismo, otiosæ imitationis arguendus. Sed tractatas a nostro materias sigillatim expendere juvabit.

Numina igitur quod primo attinet, & mascula & feminea tam superiora quam inferiora, eorumque simulacra, Epigrammata pepigisse censetur ARCHIAS sequentia, iisdem hic loci numeris insignienda, quibus in Jacobsiana Anthologiæ editione distinguntur.

Primum nobis erit in *Mercurium*, Coryciorum incolentem urbem n. 20: quod præter nudam Dei regis invocationem nihil continet.

Alterum sit in *Herculem* Nemæi leonis occisorem n. 27: novum jam audiri, expulsis pastoribus, mutatum, & novo opus esse vindice, Junonis, spurios perosæ, mitigaturo bilem.

Tria leguntur in *Priapum* pescatorum nautarumque patronum n. 10, 16, 17. In illo Phintylus, senex factus, pescatoria instrumenta Deo dedicat, ut in STATYLLII FLACCI (JACOBS Anthol. Gr. T. II. p. 239. n. 4.) Binis posterioribus duo ejusdem Dei signa, unum a Threïciis nautis, alterum, & valde quidem

dem rude, atque informe, a piscatoribus posita, loquentia inducuntur, & celere utrisque auxilium promittentia: quæ ambo carmina egregio satis & pio sensu sic terminantur: istud:

εδέ ἐκατόμβι

Τόσσον, ὅσον τιμὴ δάιμοσιν αἰδάνεται.

hoc his verbis:

Ἡ γὰρ ἀπ' ἔργων

Δάιμονες, & μορφᾶς γνωστὸν ἔχοσι τύπον.

Occurrunt porro in *Pana* quatuor Epigrammata, n. 6 -- 9, ejusdem plane argumenti, notissimi quidem & a Græcorum Epigrammatariis (*n*) ad fastidium usque repetiti, de tribus fratribus, pescatore Clitore, aucupe Pigre & venatore Damide, Pani signa, artis quoque suæ, ponentibus, faustaque fibi expetentibus negotiorum omina.

Sequatur Epigramma in *Marsyam*, Satyrum
C 2

n) Tractatum idem, iisdemque fratrum appellationibus, & ante & post ARCHIAM, videas, ab ALEXANDRO Aetolo, JACOBS Anthol. Gr. T. I. p. 207. n. 1. a LEONIDA Tarentino, ibid. p. 159 n. 19. ab ANTIPATRO Sidonio, ibid. T. II. p. 9. n. 15. 16. ab ALPHEO Mitylenæo ibid. p. 115. n. 2. a SATYRIO THYILLO ibid. p. 252. n. 1. a ZOSIMO Thasio ibid. T. III. p. 157 sq. n. 1 .. 3. atque a JULIANO Ægyptio ibid. p. 197. n. 9.

rum (o), ex hirsuta pinu pendentem, n. 22. Queruntur Nymphæ, quas flentes postea induxit OVIDIUS, se sonum dulce canentis tibiæ non amplius audituras.

Neque minus in *Amorem ejusque matrem, Venerem*, lusit noster, quinque Epigrammatibus. Illi alato & constanter persequenti subducere se peditem non posse questus (n. 2), invitat eundem, ut omnia tela in se emittat, (p) quo vacua pharetra nequeat alios vulnerare (n. 1); ipsamque Cyprida sagittas parare, & tranquillam ad scopum venire jubet, plagæ reliquum nullum esse in se locum testatus (n. 3) (q). In quarto Epigrammate (n. 5), post ANTIPATRUM Sido-

(o) OVID. Metamorph. L. VI. v. 383. 393. Fastor. L. VI. v. 703. *Phœbo superante pependit.* Id. ibid. v. 707. Sed ab ALCEO Mesfenio, JACOBS T. I. p. 239. n. 10, reliquis ad truncum manibus singitur.

(p) POSIDIPPUM, JACOBS T. II. p. 46. n. 1. imitatus videtur noster.

(q) Distichon hoc epigramma in Planudea atque Stephaniana Anthologijs posteriorem absolverat partem poëmatii, NICARCHO adscripti. Priorem etiam geminum versum, quo eleganter vereque monetur *pulcritudinem sine charibus*, *uti escam sine hamo natantem, satiare tantum, non retinere*, cum reliquis non cohaerere, observavit, post Jos. SCALIGERUM, HUETIUS. Illud in Venerem, Vaticani (hodie Parisiensis) codicis auctoritate, ARCHIE jam tribuitur.

21

donium (*r*) puellæ quinque, orarum Naucratidis incolæ; Veneri, nuptiarum paratrici, splendida offerunt dona: Bitinna sandalia, purpuream vittam Philænis, Anticlea (νόθον κευθέσαν ἀναρά γιπίδα) flabellum, aranearum filis simile faciei velum Heraclea, patrisque Aristotelis cognominis pedum armillam. Quinto tandem, in Apellis opus, Venerem Anadyomenen, scripto (n. 13), hanc, cum e nutrice ponto nuda emergeret, illi visam, similemque prorsus sui, & talem ut nitidis manibus cincinnos spumante aqua perfusos adhuc exprimat, fuisse depictam, pulcre, sed nequam ex propria auctoris supellectile (*s*), canitur.

Minervæ duobus Epigrammatibus, dicantur donaria: Tibiarum nempe inventrici (*t*), a Micco Martis filio tibicine, tuba, belli atque ludorum instrumentum, n. 4. (*u*); Eidemque Ergatidi, a sororibus

r) JACOBS T. II. p. 10. n. 2f.

s) Exstant in eandem APPELLIS tabulum quatuor alia ejusdem prope sensus Epigrammata, eorumque duo ARCHIA anteriora: LEONIDÆ Tarentini, JACOBS T. I. p. 164. n. 41. ANTIPATRI Sidonii, ibid. T. II. p. 15. n. 32. DEMOCRITI, ibid. p. 257. JULIANI Aegyptii, ibid. T. III. p. 202. n. 52. Quæ omnia, pariterque ARCHIÆ, latino Carmine ab H. GROTIÙ reddita, legi poslunt apud HARDUINUM ad PLIN. Nat. Hist. L. XXXV. C. 36. n. 15.

t) PINDAR. Pyth. 12.

u) Expressum est hoc poëmatum ex epigrammate TYMNIS, JACOBS T. I. p. 256. n. 1.

bus tribus Samiis, textricibus, diuturnam sibi optantibus manu terendam vitam (x), textoriæ artis suppellex, n. II.

In *Echo Nympham*, cuius etiam in 27:mo jam memorato Epigrammate injicitur mentio, duo leguntur epigrammata, in quorum altero, n. 14 (y), ad similitudinem ἀδεσπότα (JACOBS T. IV. p. 174 n. 274) Panos appellatur amica, in altero, n. 15, ipsa loquens inducitur, & quærrens, quænam sit, sua lingva, justior?

Pulcrum est in *Medeam*, aut potius in hirundinem, quæ in piñta Medeæ imagine nidum struxerat, epigramma, in Germanicam lingvam ab HERDERO (z) eodem metri genere translatum. Quærit poëta an

spe-

x) Non idem semper fuisse talis dictionis consilium, docet Epigrama ἀδεσπότα, JACOBS T. IV. p. 141. n. 116. b. ubi Bitto Samia in Veneris caltra transitura, & LEONIDÆ Tarentini, JACOBS T. I. p. 155. n. 9. ubi tres Philomedis Cretici filiæ, a labore cesantes, eadem munera ferunt. Consentient cum Archiano melius: aliud ejusdem LEONIDÆ, JACOBS T. I. p. 155. n. 8, duo ANTI-PATRI Sidonii, ibid. T. II. p. 11. n. 22. & p. 12. n. 26. atque recentius PHILIPPI Thesalonicensis, ibid. p. 200. n. 18.

y) Hujus inscriptio: εἰς ἀγαλμα Ἡχές, spuria esse, nec aliunde, quam ex epitheto περηφέσσα, orta nobis videtur.

z) Zerstreute Blätter, Erste Sammlung p. 6.

speret avis fore, ut alienis pullis servet fidem, quæ propriæ non pepercerit proli? Eandem matris crudelitatem increpat aliud poëmatum, a STEPHANO ARCHIÆ, a recentioribus LEONIDÆ Alexandrino adscriptum, quod tamen illius ingenium omnino referre ipse fatetur JACOBS, ad T. II. p. 181. n. 31; idemque carmen, ex comparatione Athamantis cum Medea, docet insania graviorem esse zelotypiam.

Sunt porro in *Ajacem* n. 18, atque *Hectora*, n. 32, 35, epigrammata, quorum postremum ad *Alexandrum Magnum* etiam pertinet, ab HERDERO (a) itidem in Teutonicum sermonem conversum. Sensus est: Trojam cum Dardanio, Pellam cum Macedonico heroë esse extinctam, nec tamen patria virum sed viro patriam nobilitari. Istud dialogum continet inter columnam Hectori positam & viatorem, cui genus, nomen, patriam, fatum strenui viri illa rogata enarrat. Illud denique Ajacis laudes atque imperterritam fortitudinem & voluntarium interitum memorat fusius.

Trigesimo quarto eleganter quidem, sed ex LEONIDA Tarentino (JACOBS T. I. p. 169 n. 59), paucis, nec invenuste, mutatis, expresso epigrammate, Charrontem alloquens, & canem se, ex more, appellans, sistitur *Diogenes*, trajectum petens, obolum ferens & nihil a se in terra reliectum affirmans.

An-

a) Ibid. Zweite Saml. p. 26.

Antecedente proxime carmine *Theris quidam*, naufragus, undis in terram projectus & prope mare sepultus, queritur mortuo quidem sibi, sed inviso fluetuū strepitu adhuc vexato, non concedi quietem. **POSIDIPPUM** (JACOBS T. II. p. 52. n. 19) forte imitatus noster, longo tamen post se intervallo reliquit; nec cedit palmam **ANTIPATRO** (JACOBS ibid. p. 113. n. 69.) aut **PHILIPPO** (ibid. p. 218. n. 82.) Thesfaloniensibus, idem postea exprimentibus argumentum.

Laudatur epigrammate 31, quæ Thracum suis fe dicuntur, consuetudo in natalibus hominum lugendi, in exsequiis lætandi: ejusque moris ratio, nemini non obvia, traditur.

Exstant & veri *apologi*, nec illi affabulatione, quam vocant, destituti (b), n. 21 & 23. Illo quidem, quem & STOBÆUS suo quondam inferuit Anthologio & GROTIUS (c) latinis reddidit versibus, fictione non ineleganter propofita, docetur periculosa & saepe fatales auctori esse infidias; hoc vero, ad **ANTIPATRI**
Si-

b) De fabularum Æsopiarum nonnullarum ex epigrammatibus Græcis origine conferatur JACOBS in Charaktere der vornehmsten Dichter aller Nationen, 5:u Bandes 2:s Stück. p. 285. not. dd) & p. 293. not. ll).

c) In Dictionis Poëtarum, quæ apud Jo. STOBÆUM existant, Paris. 1625, Florilegio ad Epimum, p. 58.

Sidonii (*d*) exemplar efficto, sacros esse vates & ne
ab indoctis quidem facile violari.

Neque *animalia* vel aliis occasionibus prætermisit, in
multa ex Epigrammatiorum more se diffundens poë-
ta. Inducitur binis epigrammatibus, n. 24 & 25 (*e*),
equus antea in Pythiis, Nemeis & Isthmiis ludis viator,
jam annis obsitus & in pistrinum detrusus, indignans,
querulus. Inducuntur porro *boves*, non arare solum
docti, sed navigia etiam ex æquore ad littus attrahentes,
& mare, ut delphinos ad terram vomere
scindendam instituat, rogantes (*f*). Jactantur lusus
in *Delphinum* undarum vi in littus ejectum (*g*), n. 30;

D in

d) JACOBS Anth. Gr. T. II. p. 23. n. 62. Imitatus postea
utrumque PAULUS SILENTIARIUS, ibid. T. IV. p. 63. n. 72.

e) Etiam tertio, ut nonnullis placet, & eodem quidem de
quo supra p. 16. not. *h*) fuit sermo, quod quamvis simili-
lis omnino argumenti, non videtur tamen eundem agno-
scere auctorem.

f) LEONIDÆ quidem Alexandrino hoc tributum videoas, JA-
COBS T. II. p. 182. n. 36, sed ARCHIÆ vero similius ad-
scribendum esse putat idem in commentario in hunc i-
psum locum, atque confusione nominum in supra me-
moratum Vaticanum Codicem irreplice. Congruit ali-
quatenus huic epigrammati ætate inferius PHILIPPI Thes-
salonicensis, JACOBS T. II. p. 203. n. 27. Cfr. AELIANI
Hist. Animal. L. XIV. C. 25.

g) Expressum istud est ex ANYTE poëtria, JACOBS T. I.
p. 132. n. 12. Ab utroque differt valde ANTIPATRI
Thessalonicensis, ibid. T. II. p. 109. n. 50.

in *pican* moleste garrulam, jam mutam & elinguem, mortuam scilicet, n. 28; nec non in *Achetam* (cicadam majorem), cantu jucundam opilionibus, sed a formicis, viarum calcatoribus, interemtam, n. 29. Celebrantur quoque eorundem *simulacra* & effictæ quacunque arte *imagines*; ut *apri calydonii* signum æneum (n. 12.) vivide expressum, horrentibus setis, dente frementem, ore spumante, oculis trucibus (h), atque *jaspis annuli* cum *bubus* tam artificiose sculptis, ut hos vivere & recreari, illam herbescere facile putaretur n. 19, quod argumentum ante ARCHIAM tractaverat PLATO (i), post eundem POLEMO Rex (k) ley admodum differentia.

Reliqua perpaucā, utpote auctoritatis valde dubia, omittimus. Leguntur illa apud laudatum sæpe JACOBS T. II. p. 180. n. 29. p. 181. n. 35. p. 183. n. 42. T. IV. p. 214. n. 453.

h) HEYNE prisæ artis opp. ex Epigr. Græcis partim erut, partim illustr. Comm. II. in Commentatt. Societ. Reg. Gotting. Vol. X. Commun. hist. & philol. p. 118.

i) JACOBS T. I. p. 106. n. 17.

k) Idem. T. II. p. 169. n. 3. Cfr. & HEYNE l. c,

Omissum.

Pag. 14. not. 2) post vocabulum *proxime* addendum est:
not. u).